3

CONSTITVTIONES YNODALES SANCTAE ECCLESIAE INTERAMNATIS,

DITAE, ET PROMVL-
GATAE IN SYNODO
DIOECESANA,

HABITA ANNO
M. D. LXVII.

Die Septima Septembris.

BLIOTECA NAZ.
ROMA
TORIO EMANUELE

ROMAE,

ud Iulium accoltum in platea peregr.

MDLXVIII.

oogle

Digitized by Google

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS

Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

CONSTITVTIONES SYNODALES ſanctæ eccleſiæ Interamnatis, editæ, & promulgatæ in Synodo Dioeceſana, habita Anno MDLXVII. Die VII. Septembris.

NVLLA fere Chriſtianæ diſciplinæ in Dei eccleſia reſtituendæ ſpes eſſe poteſt, ubi ſacerdotes & quicunq; alii inferiores clerici ſeſe diuino cultui dediderunt, pietatis exercitationem aut negligant, aut parum diligenter curent. quin etiam uel minima huius incuriæ ſignificatio mirum eſt, quantam uim habeat ad deterrendos a religionis ſtudio Laicos homines. uix enim ulla ratione iis perſuadere queas, ut uituperatione aliqua digna exiſtiment, quæ illorum exemplo peccant, a quibus uitæ præcepta petenda ſunt. Cum igitur pro paſtorali no-

 ſtro

ſtro munere uehementiſsime cupiamus fidelem populum, fidei noſtræ commiſſum, ad Dei omnipotentis cultum & certam chriſtianæ pietatis regulam ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & ſanctorum patrum doctrina dirigere Nos Mutius Archiepiſcopus Calinus, Dei et apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Interamnæ ex iis quæ iuuante Domino in hac noſtra Dioeceſana Synodo decernenda ſunt, primum quidem nonnulla capita communiter uniuerſis Dioeceſis noſtræ clericis præſcribemus ad illorum mores & uitam ea ratione conformandam, quæ reliquis fidelibus ædificationem afferat. deinde uero ſigillatim illa proponemus, quibus præcipua eccleſiaſticorum ordinum officia continentur: ut nemo tandem ſit ex fideli populo, qui non æquo ſolum ſed libenti etiam animo ferre non debeat, ſe optimæ atque ſanctiſsimæ Matris eccleſiæ præceptis & legibus ad ueræ uirtutis diſciplinam inſtitui, quibus obtemperando rectam ſibi quiſque & tutiſsimam uiam ad æternæ beatitudinis gloriam muniat.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

I.

PRIMVM itaque omnes noſtræ Diœceſis ſacer-

Digitized by Google

ſacerdotes, & clericos hortamur, atque in Domino obſceramus, ut, quod eſt, ſibi uere perſuadeant; ac meminerint, non illam modo uiuendi rationem ab eccleſiaſtici ordinis hominibus requiri, quæ, in communi fidelium uſu & conſuetudine poſita, non habet quod tanquam a chriſtiana pietate abhorrens ualde reprehendi poſsit; ſed aliam præſtantiorem atque ab ea diſiunctam. Leuiora enim peccata, in quæ laici probatæ etiam uitæ incidunt, eadem ſi clericus ac præſertim ſacerdos admittat, ſceleris crimen interdum uix effugiet, præter illam, quam ſuſtinebit, alienæ offenſionis grauiſſimam culpam: ut præclare a ſancto Bernardo dictum ſit, In ſecularibus nugæ, nugæ; in ore ſacerdotis, blaſphemiæ. Recte uero facta in clericis ad eam normam diriguntur, ut niſi perfectam quandam & abſolutam uirtutis ſpeciem habeant, uel parum a uitio abeſſe, uel certe haud in magna laude ponenda eſſe uideantur. Hæc uero ſæpe cum animis ſuis cogitantes omni ſtudio pietatem in Deum, caritatem in proximos, continentiam, humilitatem, manſuetudinem amplectantur, ſanctitatemque & iuſtitiam colant, abiecta in primis diuitiarum, mundi, carnis ſolicitudine & cura. Scire unuſquiſque diligenter curet, quæ ad offi-

Digitized by Google

cium ſuum pertinent. Sacrarum literaru
ſtudia ament. In diuinis rebus & oratio
ſe aſsidue exerceant. Manipulum curato
rum ſemper in manibus habeant, & Cate
chiſmum ex Decreto ſacri Concilii Trider
tini ad Parochos PII V. Pont. Max. iuſſu e
tum, necnon aliquam ex ſummis, præſerti
uero Antoninam & Caietanam Sylueſtrin
Armillam. Quotidie aliquid ex ſacris ſcr
pturis legant, uel ex ſanctorum patrum op
ſculis Gregorii Magni Rom. Pont. Ioanni
Chryſoſtomi, Auguſtini, Leonis Papæ, Cy
priani, Bernardi, & aliorum, qui ſanctita
tis & doctrinæ laude in eccleſia celebrãtu
Horas canonicas, qui hoc munus ſiue ordi
nis, ſiue beneficii cauſa præſtare debent
ſingulis diebus religioſe & attente recitent
Deinde uero conuiuiis, compotationibus
alea, & quocunque etiam conceſsi ludi ge
nere in publico, cantilenis, ſpectaculis, i
licitiſque uenationibus, & aucupiis abſti
neant. A mulierum conſuetudine, quæ ſu
ſpectæ ſint, uel a ſacris canonibus interdi
ctæ, quam longiſsime abſint. Nunquam pe
ſonati incedant, aut choreis & ſaltationi
bus uacent, ne ue eis interſint. In taberni
aut in foro ſine cauſa neceſſaria ne moren
tur. Secularium familiaritatem ne admo
dum appetant, eorũ uero, qui alicuius uiti

in

infamia notati ſunt, omnino uitent, ac repudient. cum ſui ordinis hominibus frequentius uerſentur; & iis maxime ſe adiungant, qui modeſtiæ & religionis commendationem aliquam præ cæteris habeant.

II.

Omnes tonſura clericali, quæ uniuſcuiuſque ordinem deceat, ſint inſigniti, ita ut a laicis facile internoſci poſsint. Qui uero ſacerdotes fuerint, ſuperiores quoque labri pilos ita tondeant, ut in Miſſæ ſacrificio ſacra myſteria ſumpturi precioſo Domini ſanguine eos imbuere ne cogantur. Biretum etiam & ueſtem clericalem ſuperiorē talarem, quæ ad collum clauſa ſit; inferiorem uero, quæ uel ad medium ſaltem crus deſcendat, uel quod decentius eſt, uſque ad talos ſit demiſſa, ſemper deferant. Pileum ſi quando per pluuias aut nubilo cælo ſumere oporteat, intra eccleſiam, præſertim dum diuinis officiis interſunt, ne gerant; iſque a militaris pilei forma diſtet. Capitis reticulum ſiue ſubbiretum quod uocant, ſi eo ualetudinis cauſa utendum erit, nigrum tantummodo ſit, ac ſine redimiculis. Caligas neque turgidas habeant, neque inciſas, neque ita ruſtice factas uel aptatas, ut nudæ carnes appareant. atque eæ omnino nigræ ſint. albæ uero non permittantur

niſi inferiori ueſte totum crus tegatur. Calceis ne utantur inciſis, neque ex albo corio confectis. Camiſias quoque non gerant ad collum aut manus corrugatas, uel acu pictas & elaboratas. Denique munditiam corporis & habitus, quæ puritatem etiam animi uidetur præſeferre, non negligant: modo ne dum ſordes uitare ſtudēt, in nimium cultum non minori culpa incurrant. Clericis, qui iter facient, quamuis contractiore habitu ac ueſtitu, decēti tamē, & ex quo eos eſſe clericos facile agnoſci poſsit, uti licebit. Qui uero ex caſtris noſtræ Diœceſis ad urbem ueniunt, dum apud nos morantur ueſtem clericalem talarem induant, quemadmodum de urbanis clericis decretum eſt. Nemini autem liceat, ex Diœceſi aut ab urbe longius diſcedere ſine noſtra aut Vicarii noſtri uenia & literis commendatitiis.

III.

Cibvm ſumpturi menſæ benedicant; a cibo gratias Deo agant pro acceptis beneficiis. neque uuquam hoc pietatis officium ab eis prætermittatur. Quod ſi etiam commode fieri poterit, lectionem in menſa adhibeant uel ex ſacris Bibliis, uel ex ſanctorum patrum homiliis & hiſtoriis.

IIII.

In

In primis autem ex ſacri Tridẽtini Concilii Decreto præcipimus omnibus ſacerdotibus noſtræ Diœceſis, cuiuſcunque dignitatis & condicionis ſint, ne omittant ſacroſanctum Miſſae ſacrificium Dominicis & aliis feſtis diebus celebrare. Curati praeterea ſaepius id facere curent, quoad eorum muneri, & fidelium, ſuae fidei commiſſorum; pietati ſatisfiat. Diaconi & alii inferioris ordinis clerici ſingulis ſaltem menſibus primo ſcilicet menſis Dominico die ſacram euchariſtiam pie & ſancte percipiant. Saepius autem meminerint omnes peccata ſua idoneo ſacerdoti confiteri, praeſertim uero cum aut Miſſae ſacrificium ſunt celebraturi, aut ſacram euchariſtiam ſumpturi.

Haec de uita, & honeſtate clericorum communiter conſtituta ſint; cui edicto & legi ſiquis non paruerit, pro modo culpae aut ſuſpenſione, aut carcere, aut pecunia, in pios uſus eroganda, aut exilio, aut beneficiorum priuatione, aut alia ſalutari paenitentia arbitrio noſtro mulctabitur. Nunc reliqua ſigillatim, ut rerum, perſonarum, temporis ratio poſtulat, exequamur.

DE CANONICIS.

QVONIAM canonicorum praecipuum munus eſt, quae ad cathedralis eccleſiae

ſiae

ſiae adminiſtrationem & cultum pertinent diligenter curare, Epiſcopo tanquam conſiliarios aſsidere; diuinas laudes certis horis in eccleſia celebrare, quo omnia maiori cum pietate & grauitate agantur, in primis ſtatuimus de illorum officio haec pauca decernere.

I.

Cvm de rebus, quae uel ad eccleſiam, uel ad ipſos, uel ad quoſuis alios ſpectant, capitulum habendum erit, nemini illud uocare, nec cogere liceat, quemadmodum ueteri huius eccleſiae, probataque conſuetudine primatum, atque a nobis alias ſancitum eſt, ſine noſtro aut Vicarii noſtri permiſſu; ac niſi aliquis ex auctoritate noſtra ei conuentui praeſit, cui curae ſit, ut ſine contentione, ſine clamoribus, moderate, grauiter, atque ex ordine quiſque ſententiam ſuam dicat, eaque communi conſilio decernantur, quae illorum ordinem maxime deceant, & Dei cultum magis ac magis illuſtrent. Quidquid uero ſecus factum fuerit, nullum & irritum fore, ſtatuimus & declaramus, grauiter praeterea in eos animaduerſuri, qui hanc legẽ non ſeruauerint.

II.

Singvlis diebus omnes, nemine excepto, ad horas canonicas & Miſſam maiorem

rem celebrandam conueniant. Ac primum quidem eccleſiam ingreſsi ad ſacrae Eucha riſtiae altare accedant, ibique in genua pro cumbentes Dominum pie & religioſe uene rentur atque adorent. deinde ad ſacriſtiam ueniant, ubi cum ſilentio linteam ueſtem, hoc eſt ſuperpellicium, induant. poſtremo ſimul omnes greſſu moderato in chorum procedant. omnes ſuo loco ſedeant, nec deinde ulla ex cauſa ſedes mutent. Magiſtro ceremoniarum dicto audientes ſint. diuinas laudes clara uoce cum timore & tremore, tanquam in Domini cōſpectu omnes concinant: ita ut nemo plane ſit, qui ſe hac lege ſolutum & liberum eſſe praeſumat. in fine hymni aut pſalmi, cum ſanctae trinitatis elogium dicitur, religioſe, capite aperto, aſſurgant. quod item obſeruandum erit, cum IESV ſanctiſsimum nomen, aut beatiſſimae uirginis eius matris Mariae enunciatur. In choro nulli ſint ſtrepitus, nulli riſus, aut indecori geſtus; ac ne ſermones quidem & colloquia: ſed quod agendum eſt, ſumma cum animi attentione & pietate agatur: ne quis diuinam execrationem merito in ſe ſuſcipiat. ſcriptum eſt enim: Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Cum e choro diſcedendum erit, omnes una in ſacriſtiam redeant, ibique ſuperpellicio ſe

exuant.

exuant. neque alio in loco illud ſumere aut deponere niſi in ſacriſtia, cuiquam permiſſum eſſe uolumus. Almutia, quod eſt canonicorum inſigne, ex pellibus confecta in ecclesia atque in publicis ſupplicationibus & proceſsionibus utantur. quod ſi per calores aeſtiuos dimittenda erit, ita inter eos conueniat, ut certo anni tempore, & ſtatuta die omnes ſimul eam deponant, ac deinde ad eam redeant.

III.

In ſacriſtia uel coniuncto ei loco, quem Refectorium appellant, nihil omnino profani agatur; neque de rebus uanis & inanibus ſermones habeantur: ex quibus, non ſine maxima Laicorum, qui haec audiunt & uident, offenſione, interdum altercationes, uirgia, conuicia oriuntur; ſaepiſsime uero riſus ſolutiores, & cachinni, & uerba ſcurrilia exiſtunt. quae omnia a chriſtiana caritate, & ſacerdotali grauitate ac modeſtia longiſsime abhorrent.

IIII.

Episcopvm, paſtoralis praeſertim officii cauſa in publicum prodeuntem domo deducant, & domum reducant: eique Miſſam celebrāti, uel alia munera pontificalia exercenti, quod a ſacra Tridentina Synodo cautum eſt, aſsiſtant, & operā ſuā praeſtent.

Ipſis

Digitized by Google

Ipſis uero ex eiuſdem Decreti auctoritate, cuiuſcunq; gradus & condicionis ſint, praecipimus, ut per ſeipſos, non per uicarios & ſubſtitutos, miniſteria & functiones ſuas exequantur. quod ſi quis facere neglexerit, praeterquam quod ea diſtributionis parte carebit, qua priuari ſolent, qui omnino officium ſuum deſerunt, aliis etiam grauioribus paenis pro modo culpae & contumaciae afficietur:

V.

NEMO, qui in aedibus canonicalibus habitare poteſt, alibi domicilium habere audeat; niſi aliter nobis uiſum fuerit. Eiuſmodi uero aedes neque locentur, nec pro iis, tacita etiam pactione, ulla opera, ullum pretium, ulla merces exigatur, accipiatur ue: neq; aliis quam canonicis, aut clericis, qui prius a nobis probati ſint, de earum habitatione accommodare liceat. quæ autem dirutæ ſunt uetuſtate, unuſquiſque, in cuius poſſeſsione ſunt, pro ſuis facultatibus & præbendæ modo eas quamprimum reficiendas & reſtituendas diligenter curabit.

VI.

QVONIAM diſtributiones quotidianae adeo tenues ſunt, ut qui in diuinis rebus peragendis remiſsiores uidentur, earum iacturam facere negligant; ex ſacri Tridentini

Concilii

Concilii auctoritate tertiam quoq; partem omnium fructuum, qui ad præbendam canonicalem, aut cuiuſuis dignitatis pertinent, quotidianis diſtributionibus poſthac aſsignandam decernimus, quemadmodum eam hoc Decreto attributam, atque in quotidianas diſtributiones conuerſam eſſe, uolumus, & declaramus.

VII.

De canonicatibus ſancti Valentini, cum in illa eccleſia, quæ in agro longe ab urbe ſita eſt, minus commode diuinus cultus poſſet inſtitui, ne, qui fructus eccleſiaſticos percipiunt, fidelium piam uoluntatem fraudantes, debitum munus negligant, ita ſtatuimus & ſancimus: Qui in poſterum canonicatum ſancti Valētini adeptus erit, ſciat, ſibi Capellani, aut Manſionarii officium in noſtra cathedrali eccleſia obeundum eſſe, ita quidem ut in Miſſarum celebratione eiuſdem ſancti commemoratio agatur, & ſacris precibus Deo illorum animae quotidie commendentur, qui in ea eccleſia ſepulti ſunt, uel qui ſuis facultatibus eos canonicatus inſtituendos curarunt. Quod ſi quis iā aliquem ex iis canonicatibus ea condicione obtinuit, ut cathedrali eccleſiæ inſeruiret, is, propoſita priuationis pœna, fidem ſuam cogetur praeſtare. Quicunque uero

Archi-

Archipresbyteratum illius eccleſiæ uel per obitum, uel per reſignationem, uel per quã cunq; aliam dimiſsionem uacaturum impetrauerit, eum in canonicorum ordinem noſtræ cathedralis eccleſiæ iam nunc cooptamus, atque ab omnibus recipi ſuo tempore iubemus, aſsignata eidem omni fructuũ & prouentuum portione, quæ aliis canonicis, cum munus ſuum perſoluunt, debetur. Ne autem ii Manſionarii, quos eccleſiae miniſterio addictos eſſe uolumus, nimis tenue ſtipendium habeant; illud præterea ſtatuimus, ut fructus omnium capellarum eccleſiae noſtrae cathedralis, quæ ad ordinariam collationem ſpectant, cum eas uacare quouis modo contigerit, in commune conferantur, ideſt in maſſam ut uocant, atque eiſdem Manſionariis pro quotidiana illorum opera diſtribuantur, ea lege, ut ſingulis diebus in Miſſae ſacrificio ſalutem & pacem eorum animabus nominatim a Deo precentur, qui capellas ipſas ſuis bonis auxerunt.

DE CVRATIS.

CVRATI & rectores parochialium eccleſiarum, magnum onus, atque adeo omnium grauiſsimum ſibi impoſitum eſſe, crebro

bro meminiſſe debent. ita enim fiet, ut, omni terrenarum rerum cura abiecta, unũ illud cogitent atque meditentur, quemadmodum animarum ſaluti, quas Dominus Saluator noſter pretioſo ſanguine ſuo redemit, conſulant. Hæc igitur præcipua capita propoſita habebunt, quibus ſeruatis, rectius & facilius, adiuuante Domino, munus ſuum exequi poterunt.

I.

OMNES curati uel in domo parochiali, uel, ſita nobis uidebitur, in aliena, quae tamen intra parochiæ fines poſita ſit, habitent: ut omni tempore fidelibus præſto eſſe poſsint, qui eorum opera & miniſterio uti noluerint. Aedes uero ipſæ parochiales, quemadmodum ſupra de canonicalibus ſtatutum eſt, neque locentur cuiquam neque commodentur iniuſſu noſtro; neque in eis parochi comeſſationes, ludos, choreas, uel aliquid eiuſmodi agant, uel fieri permittãt.

II.

DILIGENTER in ſuis parochiis de ſingulorum uita & moribus exquirant, &, ſi quos repererint blaſphemos, adulteros, atque aliis nefariis flagitiis contaminatos, fœneratores, quiue inimicitias, & ſimultates cum proximis ſuis exerceant, ſeque illis implacabiles præbeant, eorum nomina ad nos deferant,

deferant; ut, qua ratione ſalutaris medicina illorum morbo adhiberi poſsit, mature deliberetur. neque interim tamen ipſi deſinent, monitis & cohortationibus, in primiſque fuſis ad Deum precibus eos in rectam pietatis uiam deducere, atque ad bonam mentem & uoluntatem conuertere.

III.

NON minori etiam curae illis erit, ut notos habeant ſuae parochiae pauperes omnes, & in iis maxime uiduas, quae ut inquit Apoſtolus, uere uiduae ſunt, hoc eſt, Deum ſancte & pie colentes; caſtas uirgines, praeſertim nubiles, quarum pudicitiae periculum aliquod immineat; & pupillos, qui a tutoribus negligenter ad uirtutem & chriſtianam pietatem erudiuntur: ne in huiuſmodi generis hominum ſubleuanda, quoad eius fieri poterit, inopia, famaque & uita tuenda, & commodis augendis partes noſtrae, ideſt parentis & paſtoris, deſiderentur.

IIII.

CVM inter caetera paſtoralis curae officia illud maxime a parochis requiratur, ut in lege Dei fidelem populum, ſibi commiſſum, erudiant, atque a terrenis cogitationibus ad caeleſtium rerum ſtudium & amorem reuocent; praecipimus omnibus curatis, ut inter Miſſae ſacrificium, quod Do-

minicis & aliis feſtis diebus celebrabitur,
locum aliquem euangelicæ lectionis pro da
ta ſibi cœlitus gratia ex ſanctorum patrum
doctrina, & catholicæ atque Romanæ eccle
ſiæ ſenſu exponant; Quod ſi ad id munus,
quia eruditione uel memoria non ualeant,
minus apti eſſe uideantur, licebit illis, bre-
uem aliquam Homiliam, a probatis aucto-
ribus ſumptam, aut memoriter, aut ex ſcri
pto recitare. Nunquam uero prætermittãt,
eodem tempore poſt generalem confeſsio-
nem, primum latine quidem orationem Do
minicam, Angelicam ſalutationem, Sym-
bolum Apoſtolorum, deinde uulgari lingua
Decem praecepta, ſeptem ſacramenta, ſe-
ptem peccata mortalia, ſeptem dona ſpiri-
tus ſancti, Tres uirtutes theologicas, qua-
tuor cardinales fidelibus clara uoce enun-
ciare, ut pueri, uel aetate etiam prouectio-
res tam mares quã faeminae, qui haec chri-
ſtianae fidei elementa ignorant, audiendi
conſuetudine ea percipiant, &, quod ma-
xime neceſſarium eſt, penitus mentibus ac
memoriae mandent. Quamquam illud pro
prie curandum erit parochis, ut feſtis die-
bus pueros ſuae parochiae ad eccleſiam
quiſque ſuam euocent, eiſque hæc ipſa fidei
initia tradant ex aliquo huiuſce inſtitutio-
nis libello, qui prius a nobis probatus ſit,

aut

aut certe parentibus hortatores aſsidue & auctores ſint, ut eos cogant adire pios illos & religioſos uiros, qui chriſtianae caritatis officio adducti in hac urbe permiſſu noſtro eius diſciplinæ rationem ſibi ſumpſerunt.

V.

OMNES quidem communiter parochi ſaepe & ſedulo a nobis admoniti ſunt, illi uero praecipue, qui antequam ad hoc miniſterium accederent nunquam fere in eccleſiaſticis rebus aut literarum ſtudio uerſati eſſent, ut omnem ſuam curam & diligentiam ponerent in percipienda ſacramentorum ui & adminiſtratione, in cognoſcendis conſcientiae caſibus; in latina lingua perdiſcenda. neque enim ullo modo ferendum eſſe docuimus, ut, qui haec ſaltem non teneret, ſe parochum & animarum curatorē profiteri, ac ne appellare quidem auderet. Quam parum autem apud nonnullos hiſce noſtris monitis & cohortationibus profecerimus, nec libet dicere, nec poſſumus ſine maxima moleſtia animo repetere. *Vt* igitur communi populi noſtri utilitati proſpiciamus, atque ut uel currentes incitemus, uel excitemus dormientes, praecipimus ac iubemus, ſiquis animarum curam habens, cuiuſcunque gradus & dignitatis, intra quatuor menſes parum idoneus ad paſtorale

munus exequendum reperiatur, ei coadiutorem perpetuum, cui idonea aſsignetur fructuum portio ſecundum ſacri Tridentini Concilii Decreta a Vicario noſtro dari, atque conſtitui.

V I.

NVLLVM officii genus a parochis praetermittendum eſt, quo fideles poſsint ad pietatem & Dei cultum excitari. Quare praecipimus, ut in quacunque parochiali eccleſia ter in die, uidelicet diluculo, meridie, ſub noctem campanae ſono admoneantur fideles, ut ſe ad breuiſsimum ſaltẽ temporis ſpatium colligant, menteq; ad Deum conuerſi gratias illi agant, tum quod in ſingulas horas, uel potius in ſingula momenta innumerabilibus beneficiis pro ſua bonitate nos afficiat, tum uero quod humanam naturam, noſtramque mortalem & infirmã carnem ex puriſsima Virgine ſuſceperit: quam ob id etiam ex pio & ueteri catholicae eccleſiae inſtituto certis illis potiſsimum diei interuallis ſalutatione Angelica uenerari ſolemus; idque ut religioſe fideles faciant, monendi atque hortandi ſunt.

DE

Digitized by Google

DE SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONE ET PRIMVM DE BAPTISMO.

I.

CAVENDVM eſt a parochis in ſacramentorum adminiſtratione, ne haec ipſa diuinae gratiae inſtrumenta, ad ſanctificandas animas a Chriſto Domino inſtituta, ita tractent, ut, in quo aliorum ſaluti prodeſſe ſtudent, ex eo ſibi exitium & perniciẽ comparent. exploratum enim omnibus eſſe debet, non poſſe ſine grauiſsimo peccato ſacramenta aut confici, aut miniſtrari ab iis, qui ſibi mortalis peccati conſcii ſunt. Quare cum omni fere temporis momento parochos paratos eſſę oporteat ad ſacramenta miniſtranda, uideant primum, quam pure & religioſe uita ſibi inſtituenda, & quam diligenter animus ab omni mortifero crimine uacuus & liber ſeruandus ſit. deinde uero illud animaduertant, omnia, quae ad cuiuſcunque ſacramenti materiam & formam attinent, optime tenenda eſſe. praeterea nihil eorum aut ignorandum, aut prauo ſtudio uel negligentia praetermittendum, quae in ſacramentorum adminiſtratione a ſancta Romana eccleſia adhiberi ſolent. una enim illa certiſsima regula uti omnes, uolumus & iubemus.

I I.

Baptismi fontem illae eccleſiae parochiales habeant, quae antea habuerunt: in eoque diligenter clauſo aqua benedicta ſeruetur, ſanctis precibus & ceremoniis, ac ſolenni ritu conſecrata. Oleum quoque cũ theſcuminorum uaſculo argenteo aſſeruatũ ad ſolennem baptiſmi uſum in parochiis, ubi fons baptiſmalis eſt, nunquam deſit.

I I I.

Cum aliquis ad eccleſiam baptizandus defertur, inquirant parochi, num forte in priuatis aedibus, cum periculum mortis inſtaret, prius baptizatus fuerit ſeruata integra ſacramenti ſubſtantia. quod ſi factum eſſe intellexerint, caueant, ne eum baptizent addita etiam illa condicione, Si non es baptizatus, &c. ſed tantum ei preces, ritus, & ceremonias, quæ prætermiſſæ ſunt, adhibeant.

I I I I.

Parentibus & aliis, qui id curare debẽt, propoſita excommunicationis poena, praecipimus, ut natum infantem ad baptiſmum ſuſcipiendum intra octauum diem ad eccleſiam deferri iubeant. neque ulli omnino liceat intra domeſticos parietes quemquam baptizare. Si tamen magna aliqua incidat neceſsitas, illud erit ſeruandum, ut, ſi

adſit

Digitized by Google

adſit ſacerdos, ab eo baptiſmus miniſtretur; uel, ſi non adſit; ab altero qui clericus ſit; quod ſi is quoque abfuerit; a laico, maſi quidem in primis, tum uero etiam fœmina, qui baptiſmi formam recte ſciant, iis ſcilicet uerbis comprehenſam, EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, cui nihil addendum, aut detrahendum eſſe quamuis etiam uulgari lingua efferatur, parochi fidelem populum quam ſaepiſsime docebunt.

V.

NON eſt ferenda praua quaedam & deteſtabilis huius noſtrae dioeceſis conſuetudo. nam cum nomina, quae infantibus imponuntur, ſumi debeant ab iis, qui uerae pietatis & uirtutis praeſtantia eos, cum aetate proceſſerint, ad eiuſdem laudis imitationẽ incitare queant, contra potius fieri uidemus: ut ea potiſsimum nomina, quæ uel nihil omnino ſignificent, uel ſceleſtiſsimorũ & impuriſsimorum hominum memoriam referant, cum ſummo chriſtianae religionis dedecore uulgo uſurpentur. Quare parochis omnibus praecipimus, ut in maribus ſiue foeminis proprio nomine in baptiſmo appellandis maximam cautionẽ adhibeant, atque eiuſmodi nomina reiicienda, fideles doceant, quae in ſancta Dei eccleſia uene-

Digitized by Google

rationem aliquam non habent.

VI.

Liber, in quo baptizati nomen, tum parentum, compatrum, dies natiuitatis, dies baptiſmi deſcriptus ſit, diligenter a parochis in ſingulis parochiis cuſtodiatur. De compatribus autem Decretum ſacri Tridentini concilii ſeruetur, ut ſcilicet unus tanum uel una, aut unus ſimul & una ad leuandum baptizatum de ſacro fonte admittatur. Ii uero neque excommuaicati ſint, neque in Paſchae celebritate eo anno peccata ſua confiteri, & ſacram eucharistiam ſumere omiſerint. & omnino tales deligantur, qui muneri ſuo ſatisfacere poſsint. Docendi enim ſunt, filios ſpiritualiter per baptiſmum Chriſto generari, in quibus recte & chriſtianae inſtituendis, ſi carnalium parentum opera, & ſtudium defuerit, eas partes pia compatrum diligentia & cura ſuſcipiat, neceſſe eſt.

DE CONFIRMATIONE.

I.

Confirmationis ſacramentum, cuius ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus, quanto ſtudio & religione ſuſcipiendum ſit, explicabunt parochi in ſuis concionibus.

Cumq:

Digitized by Google

Cumque illud ab Epiſcopo miniſtrari contigerit, tempus antea populo edicent, ut, qui ſacro chriſmate conſignandi ſunt, peccata ſua, ſe adulta aetate ſint, prius confiteri, omneſque ad certam diem commode conuenire poſsint.

II.

CONFIRMATI omnes & compatres in libro deſcribantur, iſque diligenter cuſtodiatur a parochis, quemadmodum ſupra de baptizatis praeſcriptum eſt.

III.

SANCTVM chriſma in uaſculo argenteo conditum, & clauſum ſeruetur ob eam maxime cauſam, ne quis ad impias & ſuperſtitioſas aliquas cautiones eo abuti poſsit.

DE SACRA EVCHARISTIA.

I.

PAROCHI omnes in ſuis eccleſiis ſacrã euchariſtiam in argenteo uaſe conditam, & quam ornatiſsimo loco fieri poterit, clauſoque & munito repoſitam, aſſeruent, ad infirmorum uſum, eamque ſingulis hebdomadis renouent. Ante illam uero lampas ſemper accenſa luceat, ſuppeditato a fidelibus parochianis ad eam rem ſumptu, ſi eccleſiae fructus tenuiores ſint, quam ut id onus queant ſuſtinere.

II.

Cvm ſacra euchariſtia ad aegrotos deferenda erit clericus ſuperpellicio amictus praeeat cum face laterna incluſa, & tintinnabulo, cuius ſono fideles ad religionis cultum ſanctiſsimo ſacramento tribuendum excitentur. ſacerdos item ſuperpellicio ſit indutus, ſtola collo impoſita, &, ſi per eccleſiae facultates liceat, pluuiali etiam addito. In ſacro Euchariſtiae uaſculo, quod tenui quopiam linteo aut ſerico uelo tegendum eſt, duas ſemper particulas ſacratas deferat, quarum alteram miniſtrabit aegroto, alteram eodem cultu & religione ad eccleſiam referet. Si uero in aliquibus eccleſiis ſodalitates ſanctiſsimae Euchariſtiae inſtitutae ſunt, certis quoque campanae percuſsionibus ſodales & alii fideles euocentur, qui, hymnos & pſalmos recitantes, uenerabile ſacramentum cum facibus & umbella pie & ſancte deducant.

III.

Parochi ſaepius inquirant, num aliqui in ſuis parochiis in morbum inciderint; ut eos ſtatim adeant, hortenturque ut paenitentiae ſacramento a peccatis ſuis purgati ſacram Euchariſtiam religioſe ſumant. Quod ſi diuturnior morbus fuerit, ſaepius aegrotum inuiſant, propoſitisque Chriſtia

nae

Digitized by Google

nae patientiae exemplis conſolentur; doceantque, eo ſe maiori animi tranquillitate aduerſam ualetudinem toleraturum eſſe, & aduerſarii impetus fortius ſuperaturum atque adeo mortem ipſam alacrius obiturum, quo frequentius ſacroſanctae Euchariſtiae ſacramento ſe munierit, atanimae uires refecerit ac recrearit. Deinde uero ſumma cura & uigilantia omnia temporis momenta obſeruabunt, ne forte, cum in mortis agone aegrotus fuerit, aliquid eorum ab ipſis praetermittatur, quod uel in ſacramentis adminiſtrandis, uel in diuina gratia & miſericordia ſacris precibus conciliãda a fideli myſteriorũ Dei diſpenſatore, & animarũ curatore praeſtari debeat.

I I I I.

Saepe hortandi ſunt fideles, ut non ſolum Paſchae tempore uenerabile ſacramentum percipiant, quod a Chriſto Domino ad augendam in nobis gratiam, & diuini amoris ſpiritum fouendum, aliaque caeleſtia dona nobis impartienda inſtitutum eſt; ſed frequenter etiam intra anni ſpatium, praeſertim uero cum maiores feſtorum dierum celebritates aguntur, hoc ſe admirabili cibo paſcant, qui omnem ſpiritualis delectationis fructum, & uitalem alendae animae uim continet.

V. Pa-

Digitized by Google

V.

Parochi librum ſingulis annis conficiant, in quo deſcripta ſint omnium parochianorum nomina, qui ad eam aetatem peruenerunt, ut peccata ſua confiteri, & ſacram euchariſtiam percipere debeāt. Cum autem ſacrum quadrageſimale ieiunium appropinquabit, fidelibus edicant, &, propoſita excommunicationis poena, inter Miſſarum ſolēnia Dominicis diebus denuntiēt, uti omnes ad ſacramenta in Paſchae celebritate ſumēda parati ſint; quemadmodum ſanctae eccleſiae cath. auctoritate ſancitum eſt. Deinde uero poſt octauam Paſchae eorum nomina fideliter ad nos deferent, qui ſalutis ſuæ immemores, ſaluberrimo huic ſanctae matris eccleſiae praecepto non paruerint; ut de illis, quod magis profuturum ſit, ex ſacrorum canonum praeſcripto ſtatui & decerni poſsit.

V I.

Cvm omnes fideles de ui & dignitate huius altiſsimi ſacramēti a parochis inſtruendi ſunt, ut cognoſcant, quanta animi pietate & religione, quam ſupplici mente, & humili etiam totius corporis habitu ad tanti regis menſam accedere debeant; cum uero illis adoleſcentibus tam neceſſariae inſtitutionis officium ne deſit, proſpiciendū eſt;

eſt; qui tunc primum ſacram euchariſtiam ſumere uoluerint. Quare praecipimus, ut ante aliquot dies, quam euchariſtia praebenda erit, de iis rebus, quæ ad hanc cognitionem magis neceſſaria uidebuntur, paterna caritate & ſtudio illos erudiant.

V I I.

Vt ſacra uaſa, ad ſanctum Miſſae ſacrificium parata, quam religioſe fieri poteſt ſemper tractentur, iubemus, uinum populo, poſtquam euchariſtiam ſumpſerit, calice non conſecrato, uel alio uaſe, quod ad ſacri calicis formam confectũ non ſit, praeberi. miniſter uero, linteolum manu tenẽs, uaſis ipſius extremitatem ea parte abſtergat, qua ſinguli os abluentes labra ad uaſculum admouerint. Caueant praeterea parochi, ne ſacra euchariſtia miniſtretur niſi prius linteo ante fideles explicato atque extenſo, ne forte tale aliquid, praeſertim in magna populi frequentia, accidat; quod quidem ob tanti ſacramenti maieſtatẽ non longe abſit a ſacrilegii crimine.

V I I I.

In ſupplicationibus, quae die feſto corporis Chriſti Domini fiunt, nulla ſit ordinis perturbatio, nulli clamores, aut tumultus: omnes clerici tam ſeculares quam regulares, ſodales praeterea laici, & reliqui fideles

ſiue

ſiue mares ſiue foeminae bini omnes mode rato & graui inceſſu ſanctiſsimū ſacramentum proſequantur: & alii quidem diuinas laudes & hymnos ex ſanctae eccleſiae more alterius cantibus celebrent; alii uero taciti maximum hoc immenſae caritatis myſterium adorent: & quam omnes pietatem et religionem intimo corde concipere debēt, eandem etiam exteriori cultu praeſeferre ſtudeant.

DE CELEBRATIONE MISSARVM.

INTER caetera chriſtiani cultus officia maximam habet uenerationem ſanctiſsimum Miſſae ſacrificium, quo uiuifica illa & ſalutaris hoſtia, ſemel in ara crucis Deo patri oblata, quotidie nunc miniſterio ſacerdotis, ad eiuſdem dominicae paſsionis memoriam inſtaurandam mortiſque eius uberrimos fructus in nos deriuandos, imolatur. Vt igitur quae ad hanc rationem pertinent, recte in noſtra dioeceſi conſtituantur, ſacri concilii Tridentini Decreta exequentes, haec pauca de Miſſae celebratione decernimus.

I.

NVLLI ſacerdoti alienae dioeceſis permittatur Miſſam celebrare, niſi oſtenderit literas

teras teſtimoniales, ſeu dimiſſorias ſui or
narii certas ac legitimas.

I I.

In ſecularibus eccleſiis, capellis, orato
is, etiam ſi iurispatronatus aut confrater
tatum ſint, nullus ſacerdos ſecularis, ce-
brare audeat, qui facultatem celebrandi
ominatim in eo ipſo loco, cui inſeruire ue
, a nobis ſcriptam & ſingulis ſex menſi-
is renouandam non impetrarit. Neque
einde liceat ei, ſtatim munus ſemel ſuſce-
tum deſerere; ſed xv. diebus ante ab eccle
ae, capellae, oratorii cuſtodibus uel recto
bus miſsionẽ petat, quo illi cõmodius de
io ſacerdote ſufficiẽdo cogitare poſsint.

I I I.

Missam celebrare in priuatis domibus,
t omnino extra eccleſiam uel oratoria,
iuino tantum cultui dicata, atque a nobis
robata, nemini liceat. Prohibemus etiam
e Miſſa celebretur in altari, quod ſub dio
ſt, quamuis eccleſiae parietibus continẽs
adiunctum ſit.

I I I I.

Neque ante auroram, neque poſt meri
iem Miſſae celebrentur, niſi ob eam cau-
m, quae iure permiſſa eſt. Vbi aũt plures
elebrãdae ſunt, ita ordine ſint diſtributae,
t, niſi una abſoluta, altera non inchoetur.

V. Miſſam

V.

Missam maiorem, quae etiam conuentualis dicitur, pro eccleſiae conſuetudine, & ratione diei ſiue Dominici, ſiue alterius feſti, ſiue feriati inſtitutam, nullo die praetermitti iubemus: quamuis contingat eodem die aliam Miſſam uel funebrem, uel uotiuam a clericorum conuentu celebrari. In ea autem Dominicis & aliis feſtis diebus adſint miniſtrantes ſacerdoti ſacris ueſtibus induti Diaconus, & Subdiaconus: ac, niſi in ſacerdotii gradu ipſi ſint, qui neceſſe habeant propriam Miſſam celebrare, eos ut a ſacerdote, cui miniſtrant, ſacram euchariſtiam in eadem Miſſa ſumere, nũquam omittant in Domino hortamur. Die uero ſabbato Miſſa de beata Virgine matre Dei celebretur, aut eius cõmemoratio agatur.

VI.

Multi ſunt, qui uel prauo quodam habitu, uel ex zelo pietatis, ſed non ſecundum ſcientiam, uarioſ ritus & ceremonias in Miſſarũ celebrationem induxerunt; quae non ſolum a ſanctae eccleſiae inſtituto alienae ſunt, ſed etiam nullam rei tam ſacrae, quae geritur, ſignificationem habent. Quare praecipimus omnibus dioeceſis noſtrae ſacerdotibus, uel qui in ea morantur, ut ne latum quidem unguem a praeſcripto & formula

mula ſacroſanctae Romanae eccleſiae diſcedant.

VII.

SACERDOTES, antequam miſſam celebraturi ad altare accedant, omnes conſcientiae ſuae latebras diligenter excutiant; & peccata mortalia confiteantur. Miſſam, notatis & cōmode diſtinctis ſingulis eius partibus, ante perlegant. Cum ſacris ueſtibus induti fuerint, nullis collocutionibus uacent; ſed taciti, quae ſit huius tremendi ſacrificii altitudo, diligentius cum animis ſuis conſiderent; atque in ea cogitatione ad illud ſancte & religioſe peragendum ſeparent. Ipſae autem ueſtes, ſacraq; omnia inſtrumenta & uaſa munda & pura ſint; praeſertim uero corporalia, & purificatoria; quae ne ſordidis maculis facile inquinentur, praecipimus, ut uinum album potius ad ſacrificium adhibeant.

VIII.

E SACRISTIA compoſito & moderato inceſſu egrediantur, miniſtro praeeunte, qui ſuper pellicio indutus Miſſale deferat. paratas praeterea habeat candelas, ſunale, uini & aquae uaſcula, ne cum Miſſa celebrari caepta fuerit, cogatur, relicto ſacerdote, ad ea conquirenda huc & illuc concurſare. quare ſacerdotes confeſsionem ne

C in-

incipiant, niſi prius candelae accenſae, & quae ſupra dicta ſunt, ſuis in locis collocata fuerint. In altari autem neque biretum, neque ſubbiretum, neque chirothecas, nec aliquid omnino ponant praeter ea, quae ad ſacrificii miniſterium neceſſaria ſunt.

IX.

QVAE ita pronuncianda ſunt, ut a circunſtantibus audiantur, clara & aperta uoce dicant; neque in legendo nimiam aut celeritatem, aut tarditatem adhibeant. Sacrum canonem non memoriter recitent, ſed attente legant; nequis erroris caſus incidat, qui in aliis Miſſae partibus leuis interdum uideri poſsit; in canone nunquam niſi grauis; in conſecrationis uerbis grauiſſimus exiſtimandus eſt. Cum uero opus erit genuflectere, caput inclinare, ad populũ ſe conuertere, manus tendere, cruce conſignare, ſacram hoſtiam uel in altum tollere, uel mouere, uel frangere, haec omnia adeo apte, decore, & moderate gerant, ut qui adſunt ex ſacris illis actionibus diuini ſacrificii ſanctitatem magis agnoſcant, atque ad pietatem uehementius excitentur. Quare illud in primis obſeruandum eſt, ut, peracta conſecratione, non tantum prono capite, ſed genu ad terram flexo ſancta & tremenda myſteria adorent.

X. Post

X.

Post illa uerba, Ite miſſa eſt non omit-
tur euangelica lectio, quae ex initio ſan-
i euangelii ſecundum Ioannem ſumpta
t; niſi aliud euangelium diei ratio poſtu-
uerit. ſapientiſsimo enim conſilio factum
t, ut, ad diuinae & humanae naturae in
a Chriſti Domini perſona myſterium ani
is fidelium crebro inculcandum, Miſſa
ius potiſsimum euãgelii recitatione con
uderetur. Ante miſſae uero finem nec
rporale, nec purificatorium ſacerdotes
lligant, aut complicent, ne ue manus ad
iquid huiuſmodi agendum admoueant,
ec candelae a miniſtro extinguantur. Po-
remo in ſacriſtiam reuerſi iterum ſe colli-
ant, Deoque immortali pro ſacrificii rite
racti beneficio gratias agant.

X I.

Verum, quod ad fideles attinet, danda
rit opera, ut, dum Miſſa celebratur, col-
cutionibus, riſu, & omni turpi aſpectu
ſtineant; mentem uero & oculos in ſa-
rdotis miniſterio defigant; ſeque ad ſa-
roſanctum ſacrificium pie & religioſe au-
iendum ita componant, ut ſemper capi-
aperto ſint; & eo ſaltem tempore cum
nfeſsio dicitur, & auguſtiſsima myſteria
raguntur utrumque genu flectant; neque

prius diſcedant quam euangelium abſolutum fuerit, quod poſt benedictionem ſacerdotis legendum eſt.

XII.

Ad extremum monendi ſunt parochi, aliique eccleſiarum rectores, & praeſertim ſacriſtae, ut, quoniam eccleſia domus Dei eſt; in qua altiſsimum hoc Miſſae ſacrificium offertur, diuinae laudes celebrantur, fideles ad orandum, uerbum Dei audiendum, & ſacramenta ſuſcipienda conueniunt; diligentiſsime curent, ne quid in ea incultum ſit, aut ſordibus obſoleſcat; ſed omnia quaſi nitore quodam & religioſo cultu ſplendeant: in primiſque lintea & pallia, quibus altaria ornantur ac ſternuntur; altariaque ipſa pura & munda ſint. Ne autem indecorum aliquid, & loci ſanctitate indignum in eccleſia appareat, prohibemus, ne altare ullum erigatur, ne ue Dei, aut ſanctorum imagines pictae, uel ſculptae populo proponantur, niſi prius a nobis opus ipſum & locus probatus fuerit.

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE.

I.

IN ſacramento paenitentiae maxima cautio adhibenda eſt. ſit enim confeſſorum inſcitia

Digitized by Google

ſcitia & imprudentia, ne quid grauius di-
mus, ut medicamentum, ſanandis ani-
ae uulneribus maxime aptum & neceſſa-
am, non ſolum non proſit, uerum etiam
alum magis alat; atque, ita compulſa ui
orbi ad interiores cordis partes, aeger in
es uehementius laboret & affligetur.
os igitur, ſanctae Tridentinae Synodi au
oritatem ſecuti, prohibemus, ne quis ſa-
rdos, confeſsiones ne aliorum quidem ſa
rdotum ſecularium audiat, niſi a nobis
ripto approbatus ſit. quod tamen ex mo-
proprio Santiſsimi D. N. locum non ha-
at in regularibus ad audiendas utriuſque
us Chriſti fidelium confeſsiones a ſuis ge
ralibus uel miniſtris prouincialibus ap-
obatis; ac in lectoribus, & theologia gra
atis, qui de licentia ſuorum ſuperiorum
gradum admiſsi fuerunt. De parochis
iam eadem lex ſit. exploratum eſt enim,
rum, qui nunc parochialem eccleſiam ob
ient, delectum habendum eſſe, ne cui te-
re ac non ſine magno animarum detri-
nto tam grauis miniſterii facultas per-
ſſa eſſe uideatur. Si quis contra hoc de-
etum facere auſus erit, paenam excom-
inicationis & alias uſque ad priuationem
neficiorum ſuſtinebit:

II.

Confessiones cuiuſquam maris aut fæminae in priuatis aedibus ſine cauſa neceſſaria non audiantur. Mulieres uero in eccleſia tantum & in ſedibus ad eam rem conſtitutis ad confitendum admittuntur; inter eas autem & confeſſorem tabella ſit media, quae mutuum aſpectum prohibeat; auditum nihil impediat. Ac quoniam diligentiſsime prouidendum eſt, ne cui ulla offenſionis aut ſuſpicionis cauſa in eccleſiaſticis miniſteriis praebeatur, illud etiam obſeruari a ſacerdotibus, iubemus, ne ante ſolis ortum, uel poſt occaſum mulieres confitentes audiant.

III.

Parochi ſaepiſsime fidelem populum ad confeſsionem hortentur, doceantque, maximam ex eo utilitatem & ſpiritualis iucunditatis fructum percipi, ſi quotieſcunque aliquis peccati mortalis conſcientia urgetur, quam celerrime ad poenitentiae ſacramentum confugiat: omnes uero monendi ſunt, primum ne confeſsionem ſingulis annis Paſchae tempore omittant, quemadmodum Innocentii III. Decreto ſancitum eſt; deinde, ne illam uſque ad hebdomadam ſanctam differant, tum ut eccleſiae praecepto non inuiti paruiſſe uideantur, tum

Digitized by Google

am etiā ne anguſtia tēporis in conficendo
ppreſsi, minus accurate enumrare, &
icendo perſequi ea poſsint, ex quibus ſa-
erdoti liceat, & aegrotantis animae habi-
am cognoſcere, &, quaenam ſalutaris me-
icina adhibenda ſit, diligentius perpen-
lere.

I I I I.

Paenitentes, cum ad confeſſorem acce-
unt, cogitare oportet, eum animae ſuae
ledicum conſtitutum eſſe, & Chriſti Do-
iini locum in eo miniſterio tenere. Quare
ebent ipſi primum cum omni humilitate,
ona fide, atque intimo animi dolore, non
ne magna ſpe ueniae a Deo clementiſsi-
o patre conſequendae uulnera & plagas
as ſacerdoti ſigillatim indicare atque ape
re: deinde confeſſoris partes erunt, pa-
rnis monitis et iis percunctationibus,
uae ad rem neceſſariae ſunt, pium confi-
ntium ſtudium, ubi illi defecerint, ad-
nare.

V.

Confessores ſcire ſtudeant canones
enitentiales, ut ex illorum praeſcripto
enitentias ſingulis peccatis irrogandas
oderari queant, & confitentes admoniti,
antum ſibi de ecclesiaſtica ſeueritate re-
ittatur, maiori diligentia peccata in po-

ſterum uitent, & praeterita uehementius defleant, eorumque poenas ipſi a ſe uoluntarie exigant. Deſcriptos praeterea apud ſe habeant omnes caſus Sanctiſsimo D. N. Pont. Max. & epiſcopo quauis ratione reſeruatos, ne per imprudentiam extra fines egrediantur facultatis ſibi permiſſae.

V I.

SAEPE euenit, ut, qui leuiter aegrotare caeperunt, poſtea, ingraueſcente morbo, in extremum uitae periculum adducantur: quo quidem tempore neque ipſis animae ſuae ſalus curae eſt, & qui iis neceſsitudine aliqua & familiaritate magis coniuncti ſunt, de una ſcilicet corporis ualetudine ſoliciti, omne chriſtianae caritatis officium negligunt, dum nec periculoſae aegrotationis illos admonent, nec, quod caput eſt, ad peccatorum ueniam a Deo impetrandam, prauaſque animae affectiones & morbos paenitentiae ſacramento depellendos cohortantur. Quare, ne, quod primum eſſe debet, poſtremum relinquatur, uel fortaſſe etiam miſerabili quadam negligentia prorſus omittatur, ex Innoc. III. auctoritate praecipimus medicis omnibus, ut, cum ad agrotum aliquem in lecto decumbentē uocentur; ſtatim ei denuntient, ſe illius curationem deſerturos eſſe, niſi

quatridui

Digitized by Google

quatridui ſpatio peccata ſua idoneo ſacerdoti confeſſus fuerit. quod ſi facere neglexerit ad eum amplius ne redeant, donec ille ſe huic decreto paruiſſe docuerit.

DE ORDINIS SACRAMENTO.

I.

QVONIAM ordinis quoque ſacramentum ex eorum numero eſt, quorum administratio proprie ad Epiſcopum pertinet, nihil eſt quod de eo parochis aliud praecipiamus, niſi ut ſaepe clericos inferioris ordinis, qui in ſuis parochiis ſunt, ad pietatem atque eam uiuendi rationem cohortentur, quae & illorum inſtituto conueniat, & miniſterium, quod gerunt, ita commendet, ut digni ab omnibus habeantur, qui deinceps altiorem gradum aſſecuti ſanctae Dei eccleſiae inſeruiant.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

I.

PAROCHIS eo diligentius curandum eſt, ut inter fideles matrimonia ſancte coniungantur,

iungantur, quo grauius in hoc ipſo a ſummis, mediis, infimis peccari intelligunt. paucifsimos enim reperias, qui uel huius legitimae cõiunctionis uim & ſanctitatem norint, uel cuius rei cauſa matrimonium a fidelibus ineundum ſit, uel quã animi praeparationem requirat, paulo religioſius attendant. Itaque praecipimus, ut, quae de matrimonio contrahendo ſancta Tridentina Synodus ſtatuit, parochi inuiolate ſeruanda curent. Legant in eccleſia frequenti populo ter aut quater atque adeo ſaepius in anno ſi opus ſit decretum eiuſdem concilii de matrimoniis clandeſtinis: Denunciationes ſuo tempore non intermittant: fideles ante matrimonii conſummationem hortari non deſinant, ut peccata ſua confiteantur, & ſacram euchariſtiam ſumant: librum habeant, & diligenter cuſtodiant, in quo ſcribantur uirorum & mulierum nomina, qui matrimonio iunguntur, & teſtium, qui affuerint; & dies, quo omnia agantur.

III.

INTERDICTIONEM ſolennium nuptiarum ex decreto ſacri Concilii Tridentini obſeruari ab omnibus, propoſita excommunicationis poena, iubemus. Quoniam uero in hac noſtra dioeceſi tanta eſt corru-

ptela

tela profanæ cuiuſdam & ſacrilegae con-ſuetudinis, ut quod ad hanc nuptiarum ce-lebrationem attinet, nulla praecipue Ad-uentus Domini ratio habeatur; meminerint parochi ſingulis annis die Dominico, qui proxime Aduentum Domini antecedit, illud populo ſuo in parochiis edicere; ut omnes tam ab ipſo Aduentu uſq; ad octauam Epiphaniae, quam a feria quarta cinerum uſque ad octauam Paſchae a nuptialibus celebritatibus & conuiuiis abſtineant. ſi contrafecerint, excommunicationis poenam ſubituri. ne ſcilicet diem Natalem Domini in comeſſationibus & impudicitiis; ſed in orationibus & ſanctitate, uti par eſt, expectare uideamur; ne ue extremus Domini dies tanquam fur in nocte adueniens, quemadmodum in diebus Noe, comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes omnes perdat.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

I.

MAGNOPERE uituperanda eſt quorundam parochorum negligentia uel incuria, qui ſacramentum extremae unctionis

ctionis in illam horam, uel potius illum temporis punctum differunt, cum aeger, amiſſis iam ſenſibus, agere animam incipit. Quare praecipimus, ut tunc maxime ungendos ſancto oleo fideles curent, cum in eis adhuc mentis & rationis uſus ita uiget, ut animi pietatem & religionem afferre poſſint, ex eaque uberiorem ſacramenti gratiam percipere. Sanctum uero infirmorum oleum in uaſculo argenteo reponatur, & cum eo utendum ſit, parochus ſuperpellicium induat, & ſtolam adhibeat: caeteri autem, quos adeſſe contingat, ſanctum ſacerdotis miniſterium adiuuantes, aegrotum religioſis precationibus Deo commendare non intermittant.

DE SIMPLICIBVS SACERDOTIBVS, ET ALIIS CLERICIS INFERIORIS ORDINIS.

I.

CHRISTIANVM hominem diebus Deo dicatis eccleſiam non frequentare, ac praeter Miſſae ſacrificium aliis etiam diuinis officiis non intereſſe, ſed potiſsimum eo tempore res uanas & ludicras conſectari, culpa carere non poteſt: ſacerdotem aut alium

Digitized by Google

llium quemuis clericum in eo peccare, maximum ſacrilegiũ eſt. Quare praecipimus omnibus quamuis ſimplicibus ſacerdotibus & aliis clericis, ut, qui intra urbem ſunt, ad cathedralem, qui uero in caſtris dioeceſis noſtrae degunt, ad matricem eius loci ecclesiam ſingulis Dominicis & reliquis feſtis diebus ad Miſſam maiorem & Veſperas celebrandas conueniant. Quicunque uero tribus continenter diebus, quibus intereſſe debent, id facere omiſerint, praeter alias poenas, quas pro modo contumaciae arbitrio noſtro ſubituri ſunt, eos non habiles eſſe ad ullum genus beneficii eccleſiaſtici aut capellaniae per annum in noſtra dioeceſi obtinendum, decernimus & declaramus.

DE REGVLARIBVS.

I.

REGVLARES, cuiuſcunque ordinis ſint, hortamur in Domino & obſecramus; ut, inſtituti ſui memores, nobis ſe in uinea Domini excolenda fideles miniſtros & operarios adiungant. exemploque ſint fidelium (ut ait Apoſtolus) in uerbo, in conuerſatione, in caritate, in fide, in caſtitate. Illud praecipue monemus, ut, quod a ſan-

cto Tridentino Concilio de lectione ſacrae ſcripturae in conuentibus regularium inſti tuenda ſancitum eſt, re ipſa praeſtandum diligenter curent.

DE SANCTIMONIALIBVS.

VIRGINES Deo dicatae, quae, ut a mundi deliciis atque illecebris quam longiſsime abeſſent, ſeſe in monaſteria abdiderunt, curandum eſt, ne hominum ſecularium conſuetudine, uel inanium rerum aſpectu a ſancto propoſito unquam deflectant. Quare ex auctoritate ſanctae Tridentinae Synodi primum quidem praecipimus, ut noſtrae iuriſdictionis monaſteria monialium cuiuſcunque ordinis ita ſepta & munita ſint, ut nulla ex parte in eorum clauſtra aditus pateat. Feneſtrae quoque omnes, quae in publica loca proſpiciant, & ianuae omnes, una excepta, diligenter obſtruantur. Praeterea, nemini liceat, ſiue is confeſſor earum ſit, ſiue capellanus, non tamen (ut diximus) regularium & exemptarum, ſiue procurator, ſiue operarius, ſiue olitor, famulusue, aut famula; neque omnino ulli mari, aut faeminae externae, intra monaſterii ſepta habitare; aut pernoctare, propoſita ex-

Digitized by Google

communicationis paena latae ſententiae, quam ſubire non ſolum eos, quos diximus, iubemus, ſed etiam monaſterii praefectam, quae id permiſerit, & noſtrae ditioni ſubiecta ſit eademque excommunicationis paena & aliis arbitrio noſtro irrogandis teneatur quicunque clericus aut laicus cuiuſcunque ſtatus, & condicionis & ſexus ingredi tantummodo monaſteria ipſa auſus fuerit: exceptis iis, quibus ex decreto ſanctae Synodi facultas a nobis quotannis ſcripto renouanda permittetur. Deinde, iiſdem excommunicationis, & aliis paenis conſtitutis, interdicimus omnibus clericis, necnon laicis maribus, & faeminis, ne accedant ad monaſteria monialium, & cum ipſis monialibus colloquantur ſine permiſſu noſtro. Ab hoc tamen edicto patres, & matres excipimus, modo cum aliis quam cum filiabus ſermonem non habeant.

DE

DE HOSPITALIBVS, ET CONFRATERNITATIBVS, ET MONTE PIETATIS.

I.

MAGNAM quidem caeleſtis gloriae mercedem caritatis & beneficentiae omnibus officiis, quae in proximos conferuntur, propoſitam eſſe ſacrae literae nos docent: ſed illa maxime Deo grata & accepta ſunt, quibus egentiſsimi homines peregrini, & aegroti ſubleuantur. Cum igitur inter caetera paſtoralis curae munera diligentiſsime cauendum ſit, ut, quae ad hanc rationem pertinent, legibus & ſanctionibus communita religioſe obſeruentur, praecipimus, ut hoſpitalarius, ſeu quouis alio nomine uocetur, cui hoſpitalis domus cuſtodia committenda eſt, quiue excipiendis peregrinis & aegrotis praepoſitus eſſe debet; is tantummodo deligatur, cuius fides, innocentia, ſedulitas, caritas plurimorum teſtimonio comprobata ſit: ne forte pauperes merito queri poſsint, benignitatem in domo hoſpitali ab illis potiſſimum defuiſſe, quibus maxime curae eſſe debuerat, ut perhumaniter tractarentur.

II. Caueat

I I.

CAVEAT hoſpitalarius, ne quid ab ullo,
am hoſpitium ingreditur, uel cum diſceſ-
rus eſt, aut exigat, aut accipiat, aut pe-
at: neue cum circulatoribus & huiuſmo-
i nebulonibus, aut mendicis, qui ad quae-
um ſe captiuos apud infideles hoſtes fuiſ-
e ementiuntur, uel comitialem morbum,
acrum ignem, plagas inſanabiles, mem-
rorum debilitatem ſimulant, pro iis reci-
iendis aliquam turpis lucri pactionem in-
at, cum enim huic fraudulento & menda-
i hominum generi, tum iis etiam, qui uel
di & comeſſationis cauſa ſimul conue-
iant, aditum ad haec pia & religioſa loca,
uae tantum pauperibus probatae uitae &
eum timentibus parata ſunt, prorſus in-
ercludi, praecipimus & iubemus. Alea ue
o, & teſſeris, ac talis, & quouis ludi gene-
e in hoſpitali domo uel confraternitatis
on ſolum hoſpitalario & peregrinis, ſed
tiam omnibus aliis interdicimus. Si con-
ta hoc edictum hoſpitalarius ſeu alius ae-
ium cuſtos fecerit, aut fieri permiſerit,
rauiſsime arbitratu noſtro tum ipſe, tum
lii, qui deliquerint, puniantur.

I I I.

CVRABIT etiam diligenter hoſpitala-
ius & prouidebit, ne quid peregrini & ad

D uenae

uenae contra chriſtianam pietatem & bonos mores admittant. Quare blaſphemos, & qui forte minus recte de fide catholica ſentire uideantur, non modo eiiciet, ſed eorum nomina ad nos ſtatim deferet, ut in eos pro grauitate criminis poſsit animaduertere. Homines etiam quos uitiis & flagitiis deditos eſſe probabili coniectura ſuſpicabitur, re prius nobiſcum communicata, domo excludet, neque iterum recipiet. omnes uero dum in hoſpitali domo uerſantur, operam dabunt, ut eam pietatem & modeſtiam praeſeferant, quam ipſa loci religio poſtulat.

IIII.

Vt autem omnis intemperantiae uel occaſio, uel ſuſpicio uitetur, cautum hoc edicto eſſe uolumus, ne mares & foeminae iiſdem hoſpitalibus in poſterum utantur; ſed alios in alias aedes ſeparatim (quamuis etiā aliqui ſe matrimonio iunctos eſſe affirment, diuertere iubemus. in quo tametſi nihil interdum per fraudem fingunt, omnem tamen offenſionem aliorum aduenarum in communi illa uitae conſuetudine effugere uix licet: quod praeſertim impuri homines ſolent ſanctum legitimae coniunctionis nomen ſuis flagitiis praetendere.

V. QVAE

Digitized by Google

V.

QVAE ad pauperum inopiam miſeriamque ſubleuandam pia fidelium uoluntate conſtituta ſunt, neque in profanos priuatosue uſus auerti debent; neque permittendum eſt, ut cuiuſquam improbitate uel incuria dilabantur, aut minuantur. Quare omnibus cõfratribus & adminiſtratoribus cuiuſcunque hoſpitalis, & confraternitatis, & montis pietatis interdicimus, ne publicis aut priuatis perſonis, nomine ue publico aut priuato bona ulla non mobilia, aut mobilia precioſa, quae ad hoſpitale, confraternitatem, montem pietatis quouis modo pertinere poſſunt, donent, uendant, permutent, in emphiteuſim, aut in annuum cenſum ſiue perpetuum, ſiue ad tempus tradant ſine conſenſu epiſcopi, & ſanctae ſedis Apoſtolicae approbatione. Quidquid uero contra hoc decretum factum fuerit, irritum & inane eſſe decernimus & declaramus. Ac praeterea praefectos quoſcunque ſiue Priores, ſiue Guardianos, ſiue Adminiſtratores; Camerarios quoque & cancellarios ipſius hoſpitalis, confraternitatis, montis pietatis, itemque Notarios & tabelliones, qui huiuſmodi donationum, condicionum, permutationum, conceſsionum ſiue in emphiteuſim, ſiue in annuum cen-

ſum inſtrumentis & contractibus conſenſerint, ſeu eos fieri rogauerint, uel ipſi confecerint, aut ſcripſerint in excommunicationis maioris & anathematis ſententiam ſtatim incidiſſe, denuntiamus. eandem uero poenam etiam ſubeant, ſi quouis quaeſito colore ex fructibus & prouentibus ad hoſpitalia, confraternitatem, montem pietatis ſpectantibus aliquam partem cuiquā alii donare & commodare ſine conſenſu Epiſcopi auſi fuerint; niſi tantum illi hominum generi, quibus ex ipſorum hoſpitalium, confraternitatum, montis pietatis inſtitutione, aut ſanctae ſedis Apoſtolicae conceſsione huiuſmodi facultatibus ſubueniendum ſit. neque ab excommunicationis uinculo abſolui poſsint niſi prius damnum reſarciant, resq; ablatas, & pecuniam accerſam ac ſuppreſſam iis locis reddant, quae male gerendo negotio fraudauerint.

VI.

QVONIAM Chriſtiano nomini alienisſimum eſt, confraternitates, quae ad pietatis exercitationem & Dei cultum augendum inſtitutae ſunt, eo prolapſas eſſe, ut helluandi, gulaeque & uentris cauſa religioſi conuentus frequentari uideantur; idcirco interdicimus omnibus confratribus cuiuſcunque ſodalitatis, paena excommunica-

nicationis propoſita, ne in aedibus confraternitatum aut hoſpitalibus ulla conuiuia agant, uel comeſſationes, uel epulas: ne ue, ſi forte ob eam rem in alias aedes conueniendum eſſe duxerint, ex confraternitatum, ſiue hoſpitalium bonis aliquid in eum ſumptum accipiant, uel erogari permittant.

DE BONIS ECCLESIARVM, ET QVORVMCVMQ. PIORVM LOCORVM, ET DE NOTARIIS.

I.

NEMINEM latere poteſt, quam graue delictum ſit, bona cuiuſuis generis, iura, fructus, emolumenta, quae eccleſiis & locis piis debentur, per uim aut fraudem occupare. Verum ut homines ab hoc ſacrilegio admittendo paenae ſeueritate deterreantur &, qui ſibi tam nefarii ſceleris conſcii ſunt, ſalutaris paenitentiae remedia maiori ſtudio quaerant, neceſſario fecimus, ut in hunc locum ſacri Tridentini Concilii decretum XI. ſeſsionis XXII. ad uerbum transferremus, ne quis in re tam graui, & quae cum animae ſalute maxime coniuncta eſt, ignorantiae excuſatione ſe

uti poſſe exiſtimet. Decretum autem ita ſe habet, SI QVIS &c. ſeſsione XXII. cap. XI. Quod quidem decretum in Miſſa primo quoque Dominico die Aduentus, & Quadrageſimae uulgari lingua expreſſum in hunc, qui ſequitur, modum recitari a parochis iubemus.

DECRETO DEL SANTO CONCILIO DI TRENTO AL CAPO XI.

DELLA SESSIONE XXII.

SE l'auaritia, radice di tutti i mali, in tanto occuperà l'animo di alcun chierico, o laico, di qualunque dignità riſplenda ancho Imperiale o Reale, che preſuma per ſe o per altri con forza, o con timore, ouero anchora per ſuppoſite perſone di chierici o laici, ouero con qual ſi uoglia arte, o procurato colore conuertire in proprii uſi, & occupare, o impedire, che non ſi riceuano da coloro, a chi di ragione toccano, le giuriſditioni, beni, cenſi, & ragioni ancho feudali & emphiteotiche, frutti, emolumenti, ouero qual ſi uoglia (obuentione, che ſi debbono conuertire in neceſſita de'miniſtri & poueri) di alcuna chieſa, ouero di qualunque beneficio ſecolare, o rego-

regolare, di monte di pieta, & di altri luoghi pii; queſto tale ſottogiaccia all'anathema cioe maledittione & eſcommunicatione maggiori fin tanto che hara intieramente reſtituito alla chieſa & ſuo adminiſtratore o beneficiato le giuriſditioni, beni, robbe, ragioni, frutti, & rendite, le quali hara occupato, ouero in qual ſi uoglia modo ancho per donatione di ſuppoſita perſona gli ſaranno peruenute nelle mani, & dapoi hara ottenuta l'aſſolutione dal Santiſsimo Signore N. Rom. Pontef. Et ſe ſara patrone della medeſima chieſa, ſia ſubito oltra le altre pene priuo ancho del patronato.

Et il chierico, che ſara ſtato fabricatore di queſto ſcelerato inganno & di tale uſurpatione, o ne ſara ſtato conſentiente, ſottogiaccia alle medeſime pene & di piu ſia priuato d'ogni ſorte di beneficio, & ſia fatto inhabile a qualunque altro beneficio; & ancho dopo la intiera ſodisfattione & aſſolutione reſti ſoſpeſo ad arbitrio del ſuo ordinario dalla eſſecutione de'ſuoi ordini.

II.

DOCET nos fere quotidianus rerum uſus, ob eam maxime cauſam non mediocri incommodo eccleſias & loca pia affici, quod bona & eleemoſynae, quae ipſis teſtamento legatae, uel donatione attributae

ſunt, occultantur. Quare praecipimus omnibus Notariis & Tabellionibus noſtrae dioeceſis, ut quotieſcunque teſtamenti uel alterius rei tabulas publicas confecerint, ſi quid in eis eccleſiae aut loco pio, aut certis perſonis pietatis cauſa donatum legatumue fuerit, intra quindecim dies Epiſcopo aut iis, quorum intererit, renuncient: aliter uero excommunicatione puniantur.

DE HVMANARVM LITERARVM, ET LVDI MAGISTRIS.

I.

QVI in erudiendis adoleſcentibus doctrinae ſtudia ac morum & uirtutis diſciplina ſe iungũt, parum ſe noſſe eius artis uim declarant, quam profitentur, nullam enim uideri poſſunt humanitatis ſcientiam tenere, niſi quam diligentiſsime curent, ut eo ipſo literarum genere, quas tradunt, illorum animi ad uirtutem informentur, quos in pueritia, & dum ad probitatem, flexibilis eſt aetas, bonis artibus inſtituendos ſuſceperunt. Cum igitur meminiſſe perpetuo debeant, ſe non literarum potius magiſtros quam uitae praeceptores delectos eſſe; omni ſtudio caueant, ne pueris

&

& adoleſcentibus ullos omnino libros explanent, quod etiam Indice librorum edito a Pio IIII. Pont. Max. uetitum eſt, quibus turpia uel obſcena continentur. neque enim deerunt praeclari latinitatis auctores, quibus legendis illi poſsint non ſolum ſine periculo addiſcere linguae proprietatem, copiam, et elegantiam, ſed etiam cum magna utilitate et fructu. Deinde uero, quod caput eſt, omnem ſuam in eo operam ponant, ut adoleſcentium mentes optimis moribus, ac christianae fidei religione et praeceptis imbuantur.

DE FESTORVM DIERVM CVLTV, ET IEIVNORVM, VIGILIARVMQ. OBSERVATIONE.

I

Festos et ſolennes dies in tota noſtra dioeceſi ab omnibus celebrari et in honore haberi, praecipimus et iubemus, qui ſequuntur.

Dies Dominicos

Diem Natiuitatis Domini

Sancti Stephani protomartyris

Sancti Ioannis Euangeliſtae

Sanctorum Innocentium

San-

Sanċti Silueſtri
Circumciſionis Domini
Epiphaniae
Purificationis
Annunciationis } Sanċtiſsi. Virginis
Aſſumptionis } Matris Dei
Natiuitatis
Paſchatis cum duobus diebus ſequen.
Aſcenſionis Domini
Pentecoſtes cum duobus diebus ſeq.
Santiſsimi Corporis Chriſti Domini
Duodecim Apoſtolorum
Sanċti Marci
Inuentionis ſanċtae Crucis
Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtae
Sanċti Laurentii
Dedicationis Michaelis Archangeli
Omnium Sanċtorum
Sanċti Martini

Ex decreto & conſuetudine ciuitatis Interamnem.

Sanċti Anaſtaſii
Sanċti Valentini
ſanċti Proculi
Sanċti Franciſci
Sanċti Rochi

ITEMQVE ſanċti Antonini Florentiae Archiepiſcopi v I. Non. Mai. quod ea die laetiſsimus toti ciuitati nuntius peruulga-

tus

us ſit, P I I.V. Pont. Max. optimi atque ſan
ctiſsimi ſingulari beneficio populum no-
ſtrum Interamnatem fructus, & uectigalia
omnia publica, quae prius fiſco Apoſtoli-
co attributa fuerant, recuperauiſſe. Hiſce
igitur diebus nullum opus fieri permitti-
mus, quod hoc tempore alienum ſit, in pri
mis alea & teſſeris ac talis in publico om-
nes abſtineant; quod quidem ludorum ge-
nus etiam intra domeſticos parietes inter-
dicimus a uigilia Natalis Domini uſque ad
octauam Epiphaniae. Deinde nullae taber
nae & officinae aperiantur, nihilque uena-
le propoponatur aut ematur niſi quod ad
eius diei cibaria, & aegrotorum curatio-
nem neceſſarium ſit. Nundinae etiam, quae
in dies feſtos incurrunt, uel in anteceden-
tem, uel in ſequentem diem transferantur.
Si quis contra hoc edictum fecerit pro mo
do culpae grauiter puniatur. Hortamur ue
ro fideles, ut in iis ſe potiſsimum rebus e-
xerceant, quorum cauſa dies feſti inſtituti
ſunt, tunc enim maxime, peccata, & uitia
declinantes, iuſtitiae, caritatis, & religio
nis opera colere oportet, frequentesque
praeſertim in eccleſiam parochialem ad
concionem, ad ſanctum Miſſae ſacrificium,
& alia diuina officia audienda conuenire.

II.

Ivbemvs praeterea, ieiunium per ſingulos Quadrageſimae dies praeter Dominicos, per quatuor anni tempora, & ſanctorum uigilias ab omnibus religioſe obſeruari. quibus diebus ex catholicae eccleſiae praecepto & inſtituto nemini licet carne, ouis, lacte, caſeo, & butyro ueſci. Eos tamen ab hac lege eximi uolumus, qui uel imbecillae aetatis, uel natiuitatis, uel morbi, uel alterius iuſtae cauſae excuſationẽ habent, modo illa a nobis de medici conſilio, quod ad morbum attinet, probetur, uel ab iis, quos huic muneri praeficiendos cenſebimus.

QVAE VIGILIAE obſeruandae ſint.

Vigilia Natiuitatis Domini Noſtri
- Aſſumptionis beatiſsimae Virginis eius Matris
- Beatorum Apoſtolorum omnium, exceptis uigiliis ſanctorum Ioannis Euangeliſtae, Philippique & Iacobi
- Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtae
- Sancti Laurentii
- Omnium Sanctorum

DE

Digitized by Google

D E F V N E R I B V S,

ET EXEQVIIS.

I.

QVAE ueteri catholicae eccleſiae lege, & inſtituto de funerum & exequiarum uratione pie ſancita ſunt, non eſt permittendum, ut uel auaritiae turpitudine faeſentur, uel negligenter & ſine ordine gerantur. Quare praecipimus ſingulis parohis urbanis, propoſita ſuſpenſionis paea, quam ſtatim ſubituri ſunt, ſi fideliter nunus ſuum non praeſtiterint; ut quoties ünus aliquod curandum erit, ne audeant, um ullis clericis ſecularibus mortuum eferre, niſi prius uenerabilibus fratribus no ris canonicis id denuncient. conuocatis leinde in eccleſiam cathedralem, atque ad ertam horam expectatis reliquis etiam lericis ſecularibus, qui intereſſe uoluent, una omnes idem crucis uexillum ſeuentes graui & moderato ingreſſu, ſuperelliciis, & praeterea almutia, ſi canonici nt, amicti procedant ad demortui doum. inde uero cadauer ad eccleſiam, in ua humandum erit, proſequantur, ibique xequiis interſint, nec ante diſcedāt, quam lennes illae preces, & ceremoniae abluantur. quibus peractis, ſimul omnes

tam

tam canonici quam alii clerici ſeculares ad eccleſiam cathedralem, eodem uexillo prae lato, redeant. Si quis autem hoc praeſcriptum non ſeruauerit, nullam eleemoſinae partem, quae in eo funere diſtribuenda ſit, accipiet, & aliis etiam paenis arbitrio noſtro mulctabitur.

- Hae ſunt leges, quas nos cum omni humilitate ſanctae ſedis Apoſtolicae Matris & Magiſtrae omnium eccleſiarum iudicio & auctoritati ſubiicientes, in hac noſtra Dioeceſana Synodo, more maiorum habita, edicimus, ſancimus, & promulgamus; ab omnibusque tam clericis quam laicis utriuſque ſexus noſtrae Dioeceſis Interamnatis tamquam ſynodales conſtitutiones obſeruari praecipimus, iubemus, & mandamus. Secus enim ſi a quoquam factum fuerit, is tum paenas ſupra nominatim expreſſas, tum alias ſuſtinebit, ex ſanctorum patrum decretis & eccleſiaſticis conciliaribusque ſanctionibus irrogandas noſtro Vicariique noſtri iudicio & arbitratu. Cui quidem in huius eccleſiae adminiſtratione eandem, quam nos habemus ſiue ex ordinario munere, ſiue Apoſtolicae delegationis iure, facultatem & auctoritatem tribuimus. nuncque ad eam ſanciendam huius decreti robur & firmitatem adiungimus. Ne autem

harum

arum conſtitutionum obliuio aliquem ca
iat Venerabiles fratres noſtri canonici
as in capitulo quotannis primo Aduentus
primo Quadrageſimae Dominico die
ecitandas curabunt. Reliqui uero ſacerdo
es & clerici ac praeſertim curati, ad quos
locendi et inſtruendi fidelis populi cura
ertinet, fideliter exſcriptas apud ſe habe-
unt, et quam ſaepiſsime legent. Deinde
mnes ita ſtudebunt in uſum et uiuendi
onſuetudinem illas inducere; ut qui no-
tram in eccleſia bonam conuerſationem
iderint, glorificent Deum et Patrem Do-
nini Noſtri Ieſu Chriſti.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google